

I. Bellarm. loc. cit. sic procedit: Non est improbabile debere legi: Ipsa Neq̄ est hæc depravatio Papistarum, nam etiamsi multi codices Hebr. habeant נִינְּ tamen legi unum, in quo erat scriptum נִינְּ hi Ipsa. Bellarmini tibi iam fortius inflat Marinus Marsennus, disputans contra Sixtinum ab Amama (vide hujus Anti-Barbarum Biblicum lib. 2. pag. 322) & audacter pronuncians Bellarminum asserere, se in vetustissimis Exemplaribus legisse Hi.

Resp. 1. Antea præsupposui me non probabiles rationes, sed firmas consequentias admissurum esse. 2. Depravationem Papistarum Bellarm. quidem non concedit, interim tamen eadem omnibus cordatis est obvia. 3. A particulari aliquo codice corrupto ad *Universa* Bibliorum volumina argumentari velle intolerabile est absurdum. 4. Bellarm. causæ suæ maculam suspicionis affricat, dum sicco pede transit codicem illum, in quo fæmininum נִינְּ animadvertit. Aut enim aliquid autoritatis Ipsi subfuit; aut non. Si prius cur illum non allegavit, ut res sua evaderet clarior? Sin posterius, cur ad eundem provocavit? Aut non potuit illum nominare, aut noluit. Si noluit, res statim est suspecta. Si non potuit, cur ad eundem lectorem remisit? 5. At dicat aliquis neminem animi dubium esse debere, quin intellexerit editionem Antvverpiensem interlinearem, Regijs Biblijs annò 1572. additam, in qua Guido Fabricius, autoritate Principis Mirandulani adductus, curavit excudi נִינְּ? Resp. Ita quidem est, sed quid, quæso, Bellarm. inde lucratur? nam (1) illud ipsum exemplar est corruptum; (2) non legit נִינְּ sed נִינְּ (3) rejicitur ab illis, qui annò 1584. secundam divulgationem ejusdem codicis adornarunt, & veram lectionem restituerunt. Hinc quoq̄; Arias Montanus facto illi calculum suum minimè subjecit. 6. Marsennus in crimen audaciæ incurrit, dicens, Bellarm. de pluribus Exemplaribus loqui, cui tamen de Unico duntaxat codice & quidem corrupto sermo fuit.

II. Si Scriptura legatur absq̄ punctis Rabinicis, quæ non ita pridem adjecta sunt, potest נִינְּ legi in fæminino: sæpe enim ponitur נִינְּ pro נִינְּ præsertim cum Emphasis est & virile aliquid tribuitur.

Exem.